









226  
1785

2

DISPUTATIO PUBLICA 16/7/7  
DE  
IVRE EMPHYTEV-  
TICO,

11  
13

QUAM  
Divini Numinis aspirante Gratia

SUB PRAESIDIO

Clariss. & consultissimi viri,

DN. IOHANNIS LOTICHII,  
I. V. D. & in inelyta Academia Iulia  
iurium Professoris di-  
gnissimi

Ibidem

In Maiori nouoq. Musarum Theatro  
die Mart.

Publicè ventilandam proponit

LAMBERTVS CAMMANNVS.




HELMÆSTADI,

Typis heredum IACOBI LVCII,

ANNO clj l5 cXVII.

30



  
INCLYTI DVCATVS  
BRVNOVICENSIS  
ORDINIBVS  
Admodum Reuerendis,

*Magnificis, Clarissimis, Spectatissimis, Am-  
plissimis, consiliorumq; dexteritate  
Præstantissimis,*

D.N. PRÆLATIS:  
GENEROSA NOBILITATE, ET  
VIRTUTE præcellentibus  
EQVESTRIS ORDINIS  
PROGERIBVS,

NEC NON  
*Prudentia, omniq; virtutis fama spectabilibus*  
Consulibus & Senatoribus

Dominis, Meccenatibus, & Promotoribus suis  
officiosè ac deuotè colendis, Honorandis

*Disputationem hanc Legalem*  
dat

*dicat*

LAMBERTVS CAMMANNVS Eltz.  
Auct. & Resp.





## DE EMPHYTEVSI.

### THESIS I.

**H**AEC contrahendi formula: con-  
cedo tibi fundum perpetuò fruendum hac  
lege, vt, neq; tibi, qui conduxisti, neq; suc-  
cessoribus quandiu vectigal pendatur, aufer-  
ri liceat, diu in vsu fuit, *l. i. ff. si ag. Vect. per.*

2. Sed cum partim venditioni, quia vtile dominum  
transfertur: partim locationi, cum non vnico precio, sed  
diuersis & annuis præstationibus constet accedere visa sit  
*l. i. ff. si ag. Vect. l. i. §. quod autem ff. de superf. Leonis lex, quã* *1120*  
Emphyteusis propria ac separata contractus species consti-  
tuitur, lata est, *l. i. & seqq. C. de iur. Emph. §. adeo Instit. de loc.*

3. Hinc, vt ad institutum descendamus, Emphyteusis,  
quod sit contractus nominatus, iuris ciuilis, & ab Emptio-  
ne, locatione, Feudo, censu, ac superficie differens, quo scri-  
pturâ interueniente, à Domino retentâ proprietate pro an-  
nua pensione, in Domini recognitionem præstanda, alicui  
& eius hæredibus perpetuo vel ad tempus prædia tradun-  
tur, rectius depingimus.

4. Vocis Etymon ab insitione quidem deriuari nemi-  
nem latet, sed inde melio rationem ipsam contractus huius  
causam finalem facere, cum hodiè, vt experientia testatur,  
eriam agri culti, & nulla melioratione indigentes in Emphy-  
teusis rectè dentur, absurditatem parit, & idcirco ijs, qui  
meliorationem olim pro causa impulsua fuisse aiunt ma-  
num porrigimus, *Valasc. in thes. iur. Emph. pag. 16.*

A 2

5, Neq



5. Neq; hic inter agrum Emphyteuticarium & vedaigalem essentialia facimus discrimen, cum eadem sit vtriusque definitio *l. 1. ff. si ag. Vect. per. §. 3. Inst. de loc.* Iam vero definitionem, rem, quæ definitur, esse, constat, vt quorum definitiones eadem sunt, ea quoq; inter se necesse sit eadem esse.

6. Et nemo, quin ius Emphyteuticum, cum per leges ciuiles §. 3. *Inst. loc. & l. 1. C. de iur. Emphy.* speciale & ciuile nomen acceperit, contractus nominatus sit, vnquam dubitat.

7. Ac iuris ciuilis esse contractum hunc, omnes plene ore fatentur: Dubitantibus enim Ictis, an Emptioni vel locationi potius esset annumeranda, Imp. Zenon Emphyteus in propriam contractus speciem fecit, *l. 1. C. h. r. §. 3. Inst. de loc.* & insuper vt periculum rei Emphyteuticæ pariale Emphyteutæ: totale vero Domino proprietatis damno esset, constituit, *l. 1. in fin. C. de iur. Emphy. & §. 3. Inst. de loc.* Ad dit quoq; hoc peculiare Iustinianus, *l. 2. C. h. r.* quod Emphyteuta fundi secularis per triennium, & Ecclesiastici per biennium canonem non soluens expelli possit. Auth. qui rem. *C. de S. S. E. E.* Et vltius Domino proprietatis in emenda Emphyteusi eodem precio, quo Emphyteuta vendere contendit, ius prelationis, & ad deliberandum duos menses concessit, *l. fin. C. h. r.*: Ac tandem vt non Dominus, sed Emphyteuta ad onera & tributa realia teneatur, satis vtiliter prospexit, *l. 2. C. h. r.*

8. A Venditione longo pede discedere Emphyteusini, vbi illam in numerata pecunia §. 1. *Inst. de empt.* hanc vero in specie datione §. 3. *Inst. de loc.* consistere: Item in Emptione precium æquiualens, & non minus dimidia parte *l. 2. C. de Ref. Vend.* & vnicum: in Emphyteusi vero pensionem annuam, bimestrem vel trimestrem, nec æquiualentem rei in Emphyteusi data, sed saltem in Dominij recognitionem requiri, demonstrauerimus, liquido constabit.

9. Ac-



9. Accedit, quod venditor vtrumq; dominium, tam directum, quam, vt vocant, vtile in alium liberè transferat, omnèq; periculum in venditione in Emporem redundet *§. 3. Inst. de Emp.* In Emphyteusi verò saltem particulare *§. 3. Inst. de loc. & l. i. C. de iur. Emph.* in Emphyteutam & non nisi vtile dominium transferatur, *l. fin. C. de iur. Emph.*

10. Eadem iuris confidentiâ Emphyteusin à locatione differre adferimus: Locatio siquidem nullum dominium, *l. 2. §. 3 ff. de cont. Empr.* Emphyteusis vero vtile transfert, *l. 1. §. 2. ff. si ag. Vect.*

11. A Feudo distinctionem recipere, explorati iuris est: de eius enim substantia est fidelitas, quam Domino præstare cogitur Vasallus, quæ, licet eius iuramentum remitti queat, abesse nequit, *Vult. lib. 2. pag. 113. de Feud.* quo etiam seruitia militaria pertinent, quæ omnia Emphyteusis substantiam non ingrediuntur.

12. Haud leuiori de causa Emphyteuticus contractus à censu discessum facit, quia in Emphyteutico contractu tantum vtile dominium & naturalis possessio, directo Domino & ciuili possessione apud concedentem manente *l. 1. §. 2. ff. si ag. Vect. per.* In censuario vero tam directum, quam vtile, & tam ciuili quam naturalis possessio, nulla apud Dominum manente, transfertur, *Valasc. in Thesaur. iur. Emphy. pag. 374.*

13. Superficiarius etiam cum Emphyteuta non facit, quia saltem superficiem sine solo sibi vindicat, soli dominio apud concedentem remanente. *l. vlt. ff. de superf.* Cum Emphyteute tam in solo, quam superficie vtile dominium iure attribuitur, *l. 1. ff. si ag. Vect. per.*

14. Cum vero species à specie non nisi forma distinguitur, rectè additur in Emphyteusis descriptione eandem pernici, scriptura interueniente, *l. 1. C. de iur. Emphyte.*



15. Et si hæc interueniat nihil aliud fere videtur Emphyteusis, quam locatio, quã olim etiam prædia in perpetuum locabantur, *l. 1. ff. si ag. Vec.*

16. Sed propter vberiore[m] iuris huius cognitionem, quis Emphyteusis constituat, iam videbimus. Et neminem alium, quam Dominum rem in Emphyteusis dare posse colligimus, §. 3. *Instit. de loc. rot. tit. C. de iur. Emphyteut.* cum nemo plus iuris, quam ipse habet in alium transferre possit, *l. 54. ff. de R. I.*

17. Etiam si vero ICtus *l. 1. ff. si ag. Vec.*, ciuitatum tantum mentionem faciat: tamen ad quemlibet priuatum id iuris extendi posse, rationem habet firmam; In *l. 1. ICtus E. G.* loquitur de ciuitate.

18. Huc facit, quod non tantum ciuitatum sit rem suam ad alios transferre, sed & priuatorum §. 41. *Instit. de rer. diu.*

19. Maximè cum & quilibet priuatus prædiorum suorum Dominus sit, & ipsum etiam prædiorum dominium alienare queat. *l. 21. C. mand.* Ergo multo facilius ius in re, quod minus est *l. 21. ff. de R. I.*

20. Est autem hic Dominus Ecclesiasticus, vel secularis.

21. In Ecclesiastica Emphyteusi requiritur. 1. vt Episcopi & reliquorum Ecclesiæ Oeconomorum consensu fiat, *Nov. 120. c. 5.* Et 2. Canon intra biennium soluatur, *Nov. 120. c. 8.* Qui vero secundum legis, *Nov. 7. c. 7.* expressæ obseruationem Emphyteusis non accipit Ecclesiasticam, aut biennio pensionem non soluit, iure Emphyt. cadit, *Novell. 7. cap. 7.*

22. Sub seculari Domino ciuitas, Princeps, & priuatus quisq; intelligitur, qui rerum suarum liberam habet administrationem: Vnde pupillus neq; contractu, neque testamen-



mento absq; tutoris autoritate & magistratus decreto præ-  
dia Emphyteusi subijcere potestatem habet *l. ult. C. de reb. al.  
non alie.*

23. Secundo Materiam circa quam res soli esse *secundum  
Vvesenb. ad tit. ff. ag. Vect.* intrepidè adserimus.

24. Primitus quidem tantum desertos & steriles agros  
intuitu meliorationis *l. 2. C. de iur. Emph.* in Emphyteusin da-  
tos fuisse, ingenue fatemur, vt ex vocabulis: nomine meli-  
orationis *l. 2.* & meliorationes suas vendere *l. 3. C. ibid.* videre  
est: Attamen & fertiles Emphyteusis iuri rectè subijci, haud  
obscure ex *§. 3. Inst. de loc.* vbi nulla meliorationis mentio fit,  
colligitur: Cui quoq; adsertioni hodierna consuetudo ele-  
ganter consonat.

25. Et licet. 3. scriptura ad rei gestæ essentiam parum fa-  
cit: Attamen Emphyteuseos forma in scripturæ interuen-  
tu consistit, *l. 1. C. de iur. Emphy.* vbi Imp. ablatiuis absolutis,  
qui conditionem important, vtitur.

26. Vltèrius requiritur, vbi res Ecclesiæ, vel alterius ve-  
nerabilis capituli aut monasterij Emphyteusi subijciuntur,  
vt maiore Ecclesiæ parte, Episcopi aut Præsidis bona con-  
scientia & consensu, maturaque deliberatione habitâ, nec  
non Oeconomis & ordinatoribus Ecclesiæ, nullam inde Ec-  
clesiæ præscriptionem vel damnum emersurum fore, præ-  
sente præsule, iurantibus, & demum additâ ad instrumen-  
tum Emphyteuticum capituli subscriptione, contractus hic  
fiat & perficiatur, *Nov. 120. c. 5.*

27. Si certæ generationis intuitu constituatur, siue Ec-  
clesiastica siue ciuilis sit Emphyteusis, ad solos descendentes  
ad generationem vsq; in concessione expressam, non etiam  
ad extraneos transit, contractus enim per conuentionem li-  
mitantur. *l. 1. §. 6. ff. de pos.*



28. Vnde Pactum, modo licitum sit, contractui huic ad-  
iectum lege Zenoniâ, perpetuâ stabilitate, omnibusq; modis  
custodiri iubetur, *l. 1. C. de iur. Emph.* Ita, vt, si in Emphyteu-  
si Ecclesiastica, vt ad hæredes etiam extraneos eadem de-  
uoluatur inter contrahentes conuenerit, interuenientibus  
solennitatibus pactum hoc ratum sit, *Nov. 55. c. 2. Nou. 120. c. 6.*  
*§. licentiam.*

29. Illa vero pactio, ne ius fruendi prædio Emphyteuti-  
co in Emphyteutam transferatur, aut ne Domino consti-  
tuta pensio soluatur, cum hæc de substantia Emphyteuseos  
sint, & sic facta eadem abesse nequeant, *§. 3. Inst. de loc. inuali-*  
*da est.*

30. Etiam vltima voluntate constituitur, cum enim rei,  
legatæ vel donatæ dominium ad legatarium & donatarium  
transferatur *l. 64. ff. de furs. & l. 1. ff. de pub. in rem act.* Cur non  
etiam ius Emphyteuticum quod minus est, *l. 21. ff. de R. I.*

31. Finis deniq; est, vt Domino annua pensio in recogni-  
tionem dominij soluatur: Emphyteuta vero prædium in  
Emphyteusin concessum habere, possidere, eoque vti  
frui, & ad successores transferre concedatur, *l. 1. ff. si ag. Velt.*  
*§. 3. Inst. de loc.*: Quantum autem Emphyteuta accipit, tan-  
tum Domino decedit: & quantum Domino vicissim præ-  
statur, tantum eidem relinquatur: Ius autem quod Emphy-  
teuta accipit, dominio proximum est *Valasc. in thesau. iur. Em-*  
*phyt. Donel. 9. com. c. 14.*

32. Et consistit vel in commodo, vel onere: Commo-  
dum quod Emphyteuta ex eo iure percipit: onus, quod vi-  
cissim præstat.

33. Ratione commodi venit. i. ius habendæ rei Emphy-  
teuticæ, *§. 3. Inst. de loc. & l. 1. ff. si ag. Velt.* vbi rem Emphyteu-  
ticam eidem auferri non licere expressè dicitur: Ita qui-  
dem, vt Emphyteutæ utilis rei vindicatio concedatur, *l. 16.*  
*§. vlt.*



*§. vlt. ff. de pig.* non solum aduersus alium, sed etiam ipsum Dominum, qui agrum vestigalem concessit, *l. 1. ff. si ag. Vect.*

34. Secundò remedia ad rem Emphyteuticam incolumem conseruandam Emphyteuticario competunt, nim. operis noui nunciatio, *l. 1. §. 1. ff. de op. nou. nunc.* : aquæ pluuiæ arcendæ actio, *l. 23. §. 1. ff. de aq. pluui. act.* Interdictum quod vi aut cl.

35. Tertia & ius vtendi fruendi, non vt fructuario, personale, sed perpetuum *§. Inst. de loc. l. 1. ff. si ag. Vect.* eidem conceditur: Inde quoq; omnia remedia, quibus quilibet Dominus ad rem suam, vel vsum eius tuendum vtitur, iure sibi vendicat, vt interdictum vt i possidetis *l. 3. §. 1. ff. vt i posse*: Negatoriam in rem actionem *l. 2. in princ. ff. si seruitus vind.* Ac si iure suo vt i prohibeatur, iniuriam actionem, *l. 25. ff. de* <sup>utrum</sup> *act. Emp.*

36. Thesaurum vero in fundo Emphyteutico inuentum non ad Emphyteutam, Sed ad Dominum deuolui verisimilius est: Ita tamen vt, qui inuenit, dimidiam eius partem consequatur *l. 7. §. 12. ff. solut. matrim. Valasc. De iure Emphyte. q. 15. n. 2.*

37. De alluione fundo Emphyteutico accrescente, et si nobis expressa lex non sit: Tamen optima collectione ab usufructuario, cui conceditur alluio, vel incrementum latens, *l. 9. §. 4. ff. de usuf.* desumpta, hanc alluionem Emphyteutæ tribuimus.

38. Quartò commoditas iuris huius, consistit in potestate id ipsum alienandi: Sic potest Emphyteuta meliorationes suas cuiuis vel vendendo, donando, & permutando alienare, *l. 3. C. de iur. Emphyte. §. 3. Inst. de loc. & l. 1. ff. si ag. Vect.* pignori dare & seruitute grauare, *l. 1. §. vlt. ff. de superf.*



39. Et olim quidem hæc fundi Vestigialis alienandi potestas dummodo pensio solueretur, Emphyteutæ & hæredibus erat liberima *l. 1. ff. si ag. Vect.* Iam vero iure constitutionum Imp. aliquatenus est imminuta, *l. 3. C. de iur. Emphy.*

40. Et sic hodie non nisi certis conditionibus hæc alienatio conceditur, quarum tres inuenimus. 1. est emendi iuris Emphyteutici prælatio: Nam si Emphyteuta Emptorem certum precium offerentem reperit, Domino, an eodem precio emere velit, testatò denunciât, & ita Dominum Extraneo præferat, *l. 3. C. de iur. Emphy.*

41. Qua denunciatione facta, Domino duorum mensium spacium deliberandi conceditur: si interea non emat, vel taceat, Emphyteutæ alij vendendi, modo persona idonea sit, omnino potestas conceditur, de quibus vid. *l. 3. C. de iur. Emph.*

42. Concessâ autem, Emphyteutæ & eius hæredibus, quod ex instrumentis Emphyteuticis apparet, alienandi licentia sine consensu domini, denunciatione hac opus non est, *l. 3. C. de iur. Emphyt. l. 4. ff. de pig. act. & l. 1. §. 6. ff. Depos.*

43. Idem dicendum, vbi Emphyteuta ius suum vel donando, oppignorando, vel permutando aut in dotem dando, vel legando in alium transferre animum inducit: Finis enim, cur Emptione Domini consensus requiratur: hîc cessat, nim. vt Dominus eodem precio emere possit: Et ita hîc siue Dominus, siue alius emat, nihil attinet, cum Emphyteuta, quod desiderat, consequatur. In donando vero & legando non est eadem Emphyteutæ affectio erga Dominum quæ erga donatarium, vel legatarium: Nec semper easdem res Dominus habet, quibus permutatio instituitur, quas habet is cui fit permutatio.

44. Huc quoq; facit, quod libera alienandi potestas tantû restricta sit in Emptione, *§. 3. Inst. de lo.* Quocirca cum Domini requi-



requisitio de alijs alienationis speciebus in noua hac lege expressa non sit, meritò veterum legum regulis tota res relinquitur, *l. 32. §. 3. 6. C. de App.*

45. Aliud tamen, vbius Emphyteuticum in solutum datur, dicendum, quia tum æque ac in Emptione Domini consensus requiritur, cum in solutum datio emptionis speciem ferè referat, *l. 4. C. de Euct.*

46. Secundò. Si Dominus iu noui Emphyteuticarij inductione tergiuerferetur, aut moram ne stat, introductionem testatò petat, iterumq; duos menses expectet: Quo temporis curriculo elapso, si Dominus nouum Emphyteutam, alioquin idoneum introducere superfederit, Emphyteutæ libera alienandi potestas conceditur, *l. 3. C. de iur. Emphyt.* Et hæc noui Emphyteutæ in rem Emphyteuticam inductio, tam in donatione, permutatione, ac alijs alienationis speciebus, quam venditione requiritur, ne scilicet Domino causa dominij mutetur vel inuito ius auferatur.

47. Sed hoc casu quando gener doratus, vel donatarius præuia domini notificatione in possessionem mittitur, an debetur laudemium? quod negamus cum Valasco *quest. 6. 14. 10. cont. Donel. ib. 9. com. cap. 14.*

48. Onus, quod Emphyteuta sustinet in tributis, & functionibus publicis præstandis consistit. *l. 2. C. de iur. Emphy.* Hæc enim possessores, quales Emphyteutæ sunt, onerant. *l. 16. ff. Qui satisd. cog.*

49. Damnum quoq; particulare, ex quo non tota rei substantia interimitur, sentit, nec ob id pensionis remissionem meretur, *l. 1. in fin. C. de iur. Emphy. §. 3. Inst. de loc.*

50. Finitur Emphyteusis ex persona cedentis, vbi fundi Emphyteutici non purè, sed ad certum tantum tempus Dominus est, vt puta, si quis fundum sub conditione legatum, pendente conditione alij in Emphyteusim concedat: **Condi-**



one non existente, Emphyteusis euanescit: Solutio enim iure cedentis, amittitur & accipientis, *l. 31. ff. de pig.*

51. Et tum ipsa lege euanescit, ubi certum tempus cuius intuitu erat concessum, iam elucet: Imò & pignoris, quod in eo constituerat, simul finitur *d. l. 31. ff. de pig.*

52. Nec leuiori de causa ratione Emphyteutæ, qui rem Emphyteuticam iusigniter deteriore fecit sua culpa, expulsio permittitur *Nov. 120. Auth. Qui rem. C. de S. S. E. E. Deterior autem facta videtur, quando ab eo statu, in quo erat prius, deminuitur. Mynsing. cent. 6. obseru. 86. Geil. 2. obs. 67. n. 7.*

53. Vnde inuito Domino sylvam Emphyteuticam extirpare, & vineam ex ea, etiamsi quandam Domino adferret vtilitatem, facere non potest Emphyteuta, tota enim reiforma non mutetur. *Auth. Qui rem. C. de S. S. E. E. Geil. 2. obs. 67. in fin.*

54. Et hæc adeo vera sunt, vt, si simul eodem contextu & pro eodem canone plures res accepit, & vnã ex ijs deteriore reddidit, etiam ab ijs, quas non deteriorauit, cadat. *l. 34. in fin. ff. de A Edit. Ed.*

55. Imò etiam propter leuem deteriorationem, ubi in Emphyteuseos receptione se boni viri arbitrio re vsurum iuravit, cum pactum aliquid operari debeat, expelli potest: *Corbul. tract. de caus. exp. pag. 70. num. 11.*

56. Et sic res Emphyteutica vna cum fructibus pendentibus, maturis & perceptioni proximis, modo in horreum nondum sint reconditi, ad Dominum reuertitur: *Idem. p. 132*

57. Vterius, Emphyteutam sine consensu Domini ius suum vendentem expelli posse, *testis est l. 3. C. de iur. Emph.*

58. Cadit quoq; iure suo, ubi concessã alienandi licentiã personæ prohibitæ & potentiori, *l. fin. C. de iur. Emph.* vendit, licet Emphyteuta rem illegitimè alienatam recuperet, factã enim alienatione ius Domino quæsitum est, *l. 2. §. 25. ff.*

*Depos.*

59. Post



59. Postremò eundem in seculari Emphyteusi triennij, & Ecclesiæ biennij spatio canonem non soluentem, ius suum amittere, explorati iuris est; *l. 2. C. de iur. Emphyt. Nouel. 7. c. 3.*

60. Non tamen, nisi Dominus voluerit, vel se velle rem Emphyteuticam in commissum cadere, declarauerit. *C. ibid.* Et hæc adeo vera sunt, vt, nisi hæc voluntatis declaratio viuentis Emphyteuta fiat, postea aduersus hæredes non admittatur, *Myns. cent. 3. obs. 97.*

61. Hinc fructus non à die, quo Emphyteuta canonem soluere cessauit, sed die declarationis, quo Dominus Emphyteutam ob non solutum Canonem in commissum incidisse declarauit, deberi colligo, *l. 2. C. de iur. Emphyt. l. 1. ff. de ag. Vect. Aurb. Qui rem, C. de S. S. E. E. Myns. cent. 6. obs. 83.*

62. Nec excusationem meretur Emphyteuta, vbi Emphyteus in sub magno accepit canone, respondente ferè fructibus, incidente sterilitate, cum canonis solutio non in fructuum receptorum compensationem, sed Domini recognitionem fiat; *l. 1. C. de iur. Emphyt.*

63. Neq; excusatur prætextu meliorationum, si Emphyteuta dicat se iure non soluere canonem, donec dominus paratus sit fructus in eam rem factos refundere: tenetur enim Emphyteuta ad meliorandam rem, ex natura contractus. *l. 2. h. r. illic, nulla in posterum.*

64. Neq; iuuatur Emphyteuta hac exceptione, si dicat se per totum triennium de pensione soluenda à domino interpellatum non esse: debet enim se vltro offerre, & debitum spontanea voluntate persoluere. *d. l. 2.*

65. Domino autem mentis suæ declarationem differente, fructus interim perceptos, non ad Dominum, sed Emphyteuticarium spectare, verius est; *l. 2. C. de iur. Emphyt. per verba: Si Dominus voluerit:* quæ manifestam conditionem inferunt, & Emphyteutæ priuationem suspendunt.



66. An vero Dominus ab Emphyteuta, qui ob pensio-  
nem non solutam iure suo priuandus erat, canonem recipi-  
ens caducitatis poenam remisisse videatur, quæstionis ar-  
dua est: *Nos Donello negant subscribitus lib. 9. c. 15.*

67. Neq; rem Emphyteuticam, ipsius Emphyteutæ &  
liberorum morte ad Dominum reuersam, proximiori agna-  
to dare idem compelletur, cum de ea pro lubitu disponere  
queat *l. 21. C. Mand. nec is, qui iure suo utitur, iniuriam faciat.*  
*l. 55. ff. de R. I.*

68. Propria autem autoritate Dominum Emphyteutam  
expellere posse, cum nemo sibi ius dicere possit, & hinc rixæ  
& tumultus metuendi, negamus, *tot. tit. C. ne quis in sua cau.*  
*ind. l. 3. C. de pig.*

*De contra-  
cta superfi-  
ciao.*

69. Emphyteusi valde affinis est contractus superficia-  
rius: vt enim emphyteuta in agro vectigali, sic superficia-  
rius in superficio ius vtilis dominij habet, & aduersus omnes  
vindicanes datur possidenti exceptio *l. 1. §. is autem De superf.*  
*interdictum vti possidetis l. 1. in pr. §. proponitur eod.*

70. Est autem superficies, quod super soli est faciem,  
veluti ædificium, quod natura solo cohæret, vt si quis tra-  
dendo dixerit, se solum sine superficie tradere, nihil pro-  
ficit, quo minus & superficies transeat. *l. Eum qui. 23. De v-*  
*surp. & usucap. l. obligationum 44. §. 1. De obligat. & act. l. nun-*  
*quam 26. De v. surp.*

71. Et fata sunt superficies agri, vt vitis superficies vineæ  
*l. certo. 13. De seruit. rustic.*

72. Ita appellamus ædes superficiarias, quæ in condu-  
cto solo positæ sunt, quarum proprietas & ciuili & naturali  
iure eius est cuius est solum. *l. ult. De superfic.*

73. Et dicitur superficiarius, qui in alieno solo superfi-  
ciem ita habet, vt certam pensionem præstet *l. id est 74. De*  
*rei vindic.*

74. Nec



74. Nec tamen negamus, superficiem posse vendi, donari, legari. *l. 1. §. 1. & §. si soli De superf. §. si quis a non domino Inst. de rer. diuis. Donel. g. com. c. 16.*

75. Receptor autem illa est superficiæ constituendæ consuetudo, quæ sit conducto solo, sub certa pensione concessa superficie: habet enim hæc pensio certam agnitionem domini, sine qua procedente tempore, ipsa soli proprietatis periclitetur *ut idem tradit Donel. d. l. com. c. 17. in fin.*

76. Et differt superficiarius ab emphyteuta, quia ille tantum ius habet in superficie: hic in prædio vniuerso. Ille acquirit respectu superficiæ: Emphyteuta vero respectu meliorationis, quas iam facit, vel facturus est. *Vid. Vult. §. adeo autem Inst. De loc. & conduct. n. 9.*

77. Amittitur superficies, si ad certum tempus conducta vel empta, vel alio modo constituta sit: nam ultra aut contra hanc legem audiri non debet, qui frui desiderat, *l. 1. in fin. De loc. publ. fru.*

78. Finitur quoq; superficies iure directi domini soluto, ut si is superficiem constituit in suo loco, qui ad tempus vel conditionem soli dominus erat, ac deinde dominus esse desinat *arg. l. vectigali De pignor. l. & post. §. 1. Famil. Ercisc.*

79. Et rei mutatione amittitur superficies, sublato ædificio. Est enim superficies non minus ius in corpore, quam usufructus. Corpore igitur sublato, illa tollitur. *l. repeti. §. rei. Quib. mod. usufr. amitt. l. 2. De usufr.*

80. Deniq; amittitur culpa superficiarii, ut si pensio suo tempore non præstetur, secundum legem conductionis, *l. 3. C. loc.* hac enim parte superficies locationis habet naturam. Et si conuenerit superficiarium intra præfinita tempora non expellendum, subintelligitur tamen. **SI PENSIO NIBVS PARVERIT, l. quæro 54. §. inter. ff. Eod. Don. 9. Com. c. 18.**

R I M I F

COROL-





COROLLARIA.

I.

Contractus libellarius dicitur, quando Emphyteuta concedit alteri pro certa annua pensione prædium, quod ipse ab alio Emphyteusos iure habuerat: sed hanc subalternam concessionem, & ipsam Emphyteusin esse concludimus, secundum Clarum §. Emphyteusis. lib. 4. q. 1.

II.

Renouatio Emphyteusos, quæ certis annis fieri solet, non arguit locationem conditionem, neq; est titulus nouus, sed tituli prioris continuatio, secundum Valasc. quæst. II. n. 15.

III.

Hæres Emphyteutæ legitimus, neq; renouationem à domino impetrare, neq; laudemium ipsi præstare tenetur, secundum Hartm. pistor. I. quæst. Jur. quæst. 50.

F I N I S.



Helmsstedt, Diss., 1616-19

ULB Halle

3

004 592 670




ms 1+18+23


V07











226  
1725

2

DISPUTATIO PUBLICA 16 1777  
DE  
IVRE EMPHYTEV-  
TICO,

13

QUAM  
Divini Numinis aspirante Gratia  
SVB PRAESIDIO  
Clariss. & consultissimi viri,  
DN. IOHANNIS LOTICHII,  
I. V. D. & in inclyta Academia Iulia  
iurium Professoris di-  
gnissimi

2

Ibidem  
In Maiori nouoq. Musarum Theatro  
die Mart.

Publicè ventilandam proponit  
LAMBERTVS CAMMANNVS.

HELMAESTADI,  
Typis heredum IACOBI LVCI,

ANNO cl5 l5 cxvii.

30